

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 967

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

621

P A T R I S T I C I .

622

*col. 261. Ad Sunniam et Fretem
lam 106. Paulæ et Eustochii ad
Marcellam 46. Ad Principiam 127.
Ad eandem 65. Ad Asellam 45.
Ad Theodoram Spanam 75. Ad
Marcellam 43. Adhaeret et huic
Exemplo Elogium Bethlehem,
de quo ibi Vallarsius not. c. Ad
eandem 24. Ad eandem. Spuria
T. XI. col. 31. Alteratio Lu-
ciferiani et Orthodoxi. T. II. col.
171. Ad calcem: Expliciunt Epis-
tola Beati Jeronimi.*

*II. fol. 212. Incipiunt Sermones
Beati Jeronimi. Et primum
de Nativitate Domini. Init: Ho-
die verus sol ortus est &c. T. XI.
col. 208. De Epiphanie. Init:
Dies epiphaniorum greco nomine
&c. col. 209. De Quadragesima.
Init: Quomodo miles semper &c.
col. 210. De Parasceve. Init: Ho-
die fratres karissimi populus israel
&c. col. 212. De Die dominice
Resurrectionis. Init: Non queo
fratres karissimi &c. col. 215. De
Psalmo CXVII. Init: In omni psal-
terio &c. col. 200. De Resurrec-
tione Domini. Init: Exulta cael-
lum et in letitia esto terra &c. col.
204. Vnde Supra. Init: Benesi-
cia Dei nostri &c. col. 205. In
Assumptione Sancte Marie Virgi-
nis. Init: Cogitis me o Paula et
Eustochium &c. col. 92. Sermo
ad Paulam et Eustochium et ad
reliquas Virgines cum eis degen-*

*tes. Init: Scientes fratres dilectissi-
mi auctori nostro &c. col. 110. En-
igitur Sermones X. perperam a
piis Indoctis olim Hieronymo ad-
scriptos, a Vallarsio in T. cit. re-
positos, praeviisque Monitis in-
structos, e quibus, arbitro saepe
Erasto, disces, quid de iis, eo-
rumque veris Autoribus probabi-
liter conjectari possit.*

*III. fol. 245. ἀντιγεαφως Hiero-
nymi Libri II. adversus Jovi-
nianum. Ineunt: Pauci admodum
dies sunt, quod sancti ex urbe fra-
tres &c. et finiunt: epicuri luxu-
riam suscepereunt. Subditur: Ver-
tinus de Rota. De quo, si qui-
dem Librarius fuit, dolendum,
aut mendoso Exemplari nimium
religiose adhaesisse, aut minus in-
genio et latinae linguae peritia
valuisse, quam calami elegantia.
Quae in marginibus quandoque
notantur, levia sunt.*

CCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3069
XIII. Folior. 94. f. bene prescri-
ptus, rubricis illustratus, quon-
damque sancte Marie virginis in
pawmgartenperig ord. Cistercien-
sequentia complectitur: I. Incipit
Liber Sancti Ieronimi Contra Jo-
vinianum. Praeeunt Capitulationes
Libri Primi, et sequentes Versus:

*Suscipiat deuota fides hęc uerba piorum,
Quę nobis fidei prestant cognoscere calleū,
Excludunt erroris iter sub dogmate uero,
Ac pandunt secreta dei miracula cunctis.*

Vestra

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 967

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

623

C O D I C E S

624

*Vestra ego, sancte Pater, suscepisti iussa libenter,
Et, quantum potui, per singula quæque cucurri.*

Ut non inconcinni sunt, ita huc non nisi Librarii arbitrio colloca-ti. Initium Libri: *Pauci admodum dies sunt, quod sancti &c. ut in edit. Vallarsi T. II. col. 237. cuius textum comparans Codicem in quibusdam a secunda manu rite jam emendatum deprehendi, in quibusdam vero differre. Ita in principiis legit ejus ineptiis pro eorum; apostolico rigore pro vigore; uitiis spurcissimis pro spurcissimus; Obscurus ager pro agrum; arte illudere pro eludere &c. Liber II. pariter Capitulationes praefert.*

II. fol. 51. p. 2. *Incipit prologus in apollogeticum Ieronimi ad Pammachium. Ita: Christiani interdum pudoris est &c. Dein: Incipit apollogeticum ad pammachi-*

um. Nempe: *Quod ad te bucusque non scripsi, causa fuit silentium tuum. &c. Non vane Codex no-ster haec duo hic subjungit, utpote quae in caussa praecedentis Operis versantur. Maluit ea T. I. inter Epistolas referre Vallarsius, et quidem inverso ordine, Librum Apologeticum col. 209. Prologum col. 232. cuius rei rationem non video. Textus noster parum abit ab Editis. Pro eo, quod habent Apologet. n. 2. Virgo a Viro, non Vir a Virgine generatur; Noster legit: Virgo a Viro. non Virgo. Ego neutrum me bene adsequi facio, aut scire, in quo sit, quod Hieronymus ait, vocis piaculum. Ad calcem: Explicit apollogeticum ad pammachium in domino; et sequentes Librarii Versus:*

*Hec huius libri demonstrat pagina finem,
Quem prorsus scripsi febricitante manu.
Debilitans totum gelida pro peste cadauer
Huius iam vite spes mibi nulla fuit.
Nec uis ulla mibi, geminis sed adempta diebus.
Flebilis nostrum heu renuebat opus.
Vna dies inter miseros letissima soles
Scribendi nostro spem dedit officio.
Sed mox auxiliante deo cum languidus algor
Desit in tenui carne manere mea,
Ad priscam redii mentem uiresque priores
Desertum cupiens arte nouare librum.
Inserui neglegta ex parte, superflua dempsi
Ingenio, ut paruus miles habere solet.
Sume libens uuas propria de uite nouellas — —.*

Imperfectum vides Elegion, cu-jus insuper Versus emendari ali-

quantum possunt ad Exemplum Co-dice praecedente relatum.

III.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 967

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

625

P A T R I S T I C I .

626

III. fol. 60. Aduersus Heluidium de sancte Marię virginitate perpetua. Extat hic Hieronymi Tractatus edit. cit. T. II. col. 205. ubi nobiscum incipit: Nuper rogatus a fratribus &c. et finit: seruus domini pariter experiatur et Mater. Lectio plerumque proba ad laudatum a Vallarsio Codicem Veronensem plurimum accedit.

IV. fol. 68. Jam Spuria succidunt, et ab Editore mox dicto ad T. XI. merito remissa. Sermones ille vocat a Col. 208. Nobis ita inscribuntur: Epistola Iheronimi De Nativitate Domini. De die epyphanię. De XL. De Pascha. Verum inter duo postrema titulo Vnde Supra nobis inserta est Commendatio Jejunii incipiens: Moy-ses XL. diebus & XL. noctibus ieunauit in heremo &c. quam tu frustra nunc in Hieronymo quae-sieris; reperies autem praemissio brevi ingressu: Adeſt nobis vene-rabile &c. T. V. Opp. Augustini edit. Maur. in Append. col. 255. n. CXLIV. Serm. in Quadrag. V. Agmen nobis claudit Expositio De Psalmo C^{ma}. X^o. VII^o. quam pariter Vallarsius ad T. XI. col. 200. relegavit. Admonitiones ibidem singulis praemissas, non est, quod hoc transcribam.

V. fol. 72. p. 2. Incipit episto-la Bacharii. Alias Bachiarii ad Januarium de Monacho lapso. Init: Benedic in christo fratri — Ni-ſi uererer beatissime frater ne inter ſimulatos amicos iob &c. Plura de ea dixi Vol. I. P. I. col. 253. In Exemplo praefenti finit: ſicque reconcilieris domino noſtro ihesu

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

christo amen, omisso illo: ut etiam pro nobis &c. quod habent Edita.

VI. fol. 81. p. 2. Excerpta II. absque Titulis, quorum prius prolixius, quid circa Sacramentum Altaris Deus, quid Sacerdos minister operetur, explicat, et quaſi in Canonem Missae commentatur. Incipit vero ita: Uere crede-re et indubitanter ſcire debemus infra (intra?) catholicam ecclesi-am, (quod) ubi catholicā fide hoc mysterium celebratur, nichil a bo-no maius, nichilque a malo minus percipitur ſacerdote, nichilque aliud quam caro christi & ſanguis, dum catholicē conſecrat, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creantis & in uirtute ſpiritus sancti &c. Depromta ſunt haec e Paschafii Ratb. Tra-ctatu de Corp. et Sanguine Domini c. 12. prout extat Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p. 729. Excerptum alterum brevius, incipiens: Non negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum uiuentium re-leuari &c. invenies in Augustini Enchiridio T. VI. Opp. c. 109. n. 29. col. 238.

VII. fol. 82. p. 2. Prefatio San-di Iheronimi. Videlicet Locus de L. A. Seneca e Catal. Scriptt. Eccl. tum notae illae, et a me ſaepius relatae inter hunc et Paulum Ap. Epistolae, prout edidit Fabricius in Codice Apocr. N. T. P. II. p. 892. niſi quod nobis XI. et XII. transpositae ſunt. Lectio-nis varietati immorari operaे pre-tium non censeo.

VIII. fol. 85. Sermo Beati I-heronimi De Perſecutionibus. Ini-

Rr tium:

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 967

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

627

C O D I C E S

628

tium: *Frequenter diximus. Semper enim Christiani persecutionem patiuntur &c.* Quantis Codex hic *Hieronymum onerat!* Adi potius *Augustini T. VI. Adpend. col. 368.* Ibi inter Sermones spurious ad **FF.** in *Eremo* deprehendes.

IX. fol. 86. *Hugo de sancto Vito.* *De virtute orationis.* T. II. Opp. illius p. 238. edit. Rotomag. extat pius hic Tractatus inscriptus de *Modo Orandi*, et incipiens: *Domino et patri T. H. munuscum hoc dilectionis meq; ea vos precor benignitate suscipe &c.*

X. fol. 91. *Incipit Sermo Sancti Athanasii In Observazione Monachorum.* In edit. Mauriana Opp. T. II. Paris. 1698. p. 709. f. abjudicatur merito ab *Athanasio* haec *Exhortatio*, quae nunquam graece visa fuerit, et autorem latinum aperte prodat. Ejus initium: *Etsi quidem (ut?) in Christo gloriari licet, hujusmodi principiis fitis iniciati &c.* Deest in edit. *sitis*; ceterum emendatoria sunt Codice.

XI. fol. 94. *Hec sunt XV. signa XII. dierum ante diem iudicii que inuenit beatus iheronimus in annalibus libris iudeorum.* Nugae, et maxime absurdia postrema: *Eadem nomine qua pater et mater eius (Antichristi) conuixerint, uenit spiritus diaboli in uterum matris eius, non tamen ita uirginaliter sicut in Mariam spiritus sanctus uenit, et ita nasceretur antichristus.*

Subtexta est Codici Membrana Fragmentum Statutorum Cisterciensium ab elegante manu, in quo de Anniversario domini pape bono-

rij, *Richardi anglie, Philippi et Ludewici francie regis*, item de negotio albienium &c. Memoratur etiam Annus MCCXXXV. Nec dubium, Statuta ista olim e *Galiliis ad Montem Pomarium delata* fuisse.

CCCX.

Codex membraneus lat. Sec. R.85 VII. aut VIII. Folior. partim 4. partim f. 159. charactere currente saxonico, non unius manus, nec unius temporis, lectu tamen sat difficult exaratus, rubricis distinctus, multis locis aevo adtritus, quondam, ut p. 1. adnotatur, Coenobii *sancti Columbani de Bobio*, quem locum *Agilulfus Langobardorum* rex non procul *Ticino* ad *Apenninum* sancto Viro a. 612. dederat, dein Conventus S. Job. de *Carbonaria* O. Erem. S. Aug. *Neapoli*, ubi illum, teste *Museo Ital.* P. I. p. 110. *Job. Mabillo-nius* 1685. obiter inspicerat, demum a. 1717. Imp. *Carolo VI.* oblatus *Miscella* complectitur, quae ordine suo edifferenda sunt. I. *Incipit series virorum illustrium sancti hieronymi presb.* In Prologo ad *Dextrum* non cum *Vallarsio* provocas, sed cum *Fabricio* in *Bibl. Eccl.* Noster legit vis provocare, quod et Graecus habet προκαλεῖται βέλει. Nomina Scriptorum rite decurrunt, utrobique tamen *Justinus* et *Julianus* Nostro *Justus* et *Julius* sunt. Inter *Hieronymi* Scripta omittitur *L.* in *Aggaeum*, et subditur: *Fuit amen deo gratias. Hucusque beatus bie-* rony.